



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Sextus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

## MODUS SEXTUS.

**S**Ententia Evangelii in sua membra distrahitur, quæ membra singula seorsum explicata totam conficiunt Orationem. E. g. Dom. IV. Adventus supra illa verba Lucæ 3. *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Primò ageres de viis Domini parandis, quæ juxta D. Bernard. debent esse *pulchrae, rectæ, plenæ, planæ*: tum de semitis, per quas intelligi possunt arctiora consilia, inspirationes, lumen: quemadmodum & viæ Diaboli sunt apertæ peccata, semitæ autem sunt majori furo boni illita: ut usuræ palliatæ, simonia, jus ad res alienas prætensum, &c. sit interea.

## P R A X I S

Dominica 6. à Pentecoste.

*Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent,*  
Marc. 8.

**A**ccessus & Propositio. Totum hodiernum Evangelium singularem amantissimi JESU, spirat pietatem, quam potissimum produnt assumpta verba: *Misereor super turbam*, &c. illis proinde devotè expendendis infistamus.

Confirmatio per membra sententiæ seorsim expensa.

Primum Membrum: *Misereor super turbam*, inquit Jesus. O dulce cor! Quis hujus tantæ misera-

serationis dulcedinem satis intelligat? quam exprimens Græcus textus utitur voce Σπλαγχνικα, quæ significat: *Ex intimis visceribus compatiens.* Narrat B. Pontifex, Clemens Romanus, Petrum Apostolum eo lacrymarum abundantiam processisse, ut genæ copia defluentium guttarum exederentur, perpetuis earum vestigiis continuò in facie durantibus. Causam verò rei non solum pœnitentiam de admissa negatione assignat: verùm etiam quod D. Apostolus non posset reminisci, pietatis & suavitatis Domini, qua cum suis agebat sine intima commotione. Nam ut necessitatibus etiam minimis maxima charitate provideret: dormientes quoque ac per prata de via stratos, ipse obibat: atque si incommodè decumberent, caput sublevarbat: componebat fessa membra: aliaque id genus officia, mira suavitate præstabat. Particula hujus pietatis hodierno exemplo proponitur: est autem ingentis flammæ documentum, quo misericordissima ejus viscera in nos feruntur. Paucis hinc annis abiit eo vita Pater Nicolaus Lancicius, Societas nostræ, vir famâ virtutum per multas provincias clarus. Hic suis solitus dicere: Multos se vero nimium de Christo judicio, atque inde secuta dissidentia, multa cœli munera se arcere. Non ergo, inquietabat, est Christus, Tiberius oculis scintillans, non Marius feriens vultu, sed parens benignissimus nostrique amantissimus: ac non nisi coactus, aliam quam Patris personam sumit. In revelatione D. Brigittæ legitur, Christum Dominum eum vultu ipso dulcedine speciei prætulisse, quod

quod homines tristes & afflitti dum solatia adversis quererent, soliti sunt dicere *Eamus, & videamus Mariæ Filium*: atque inde solo ejus aspectu recreari credamus: & afflitti, plenâ spé ad eum confugiamus: Atterens peccata? ne simus Caini, sed è contra dicamus: Major est misericordia tua quam peccata mea. Nicolaus Radivilus Dux in Nievez & Olyka, Palatinus Vilnensis, sepulchrale Epitaphion, vivus poni curavit, in quo ipsi, de morte rudi, & in habitu peregrino sculpto, subscriptum. *Peccantem me quotidie & non me penitenter timor mortis conturbat me.* Tuni ab ore procedunt verba ex Job. cap. 13. desumpta. *Etiamsi me occideris, in te sperabo.* Rectè judicatum. Difficile est, quin nos peccata non turbent, sed si mors subeunda in sinu Patris subeunda, aut in collo Matris, in quo manus appendit, qui se Deo plenè commisit, inquit Anselm: quod est dicere: Etiamsi me occideris, in te sperabo.

2. Membrum sententiæ *Ecce triduo sustinet me, nec habent quod manducent.* Nulla tempora nullaque opera apud Deū certius notantur, quam sustinentiæ, tentationum, laborum, tribulationum, mortificationum, Daniel 10. V. 12. ad Prophetam Angelum. *Ex die primo quo posuisti cor tuum, ad intelligendum, ut te affligeras in Conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Apo: cap. 22. *Scio opera tua, & labore tuum, & patientiam tuam* Psal. 138. *Dominè probasti me, & cognovisti me: quasi nos nosset, antequam probasset.* Matth. 25. *moram faciente Sponso, defecerunt lampades Virginum: qui-*

C

bus

bus reparatis, audire nihilominus coactæ nesciō  
vos. Quid ita? nunquid error emendatus non est?  
aut non instanter petunt, ac pulsant? Non vult eas  
nosse, quæ tempore temptationis (hoc est, mōram  
faciente Sponso) defecerunt: atq; horā tribulatio-  
nis, inter sponsas non sunt notatax; Cocles Horati-  
us vulnere ab hostibus suscepto claudicans dicere  
auditus. *Quoties passum figo, triumphos meos nu-  
mero* Quam felicius eosdem figit, vir pro Deo  
sustinens? quam melius ejus triumphi, à cœlo no-  
tantur? expertus id, devotus senio de quo VV.  
PP. Erat illifons aquæ, à Cella pluribus stadijs re-  
motus: ad quem aliquoties īdiem descendere,  
molestem visum. Cogitare igitur de cella fon-  
ti admonenda: atq; sub ea ipsa cogitatione, mo-  
rosius ad fontem progredi: cum retrospiciens, vi-  
dit Angelum, passus suos numerantem: monitus-  
que est ne porro à labore suscepto desineret singu-  
li enim, inquietabat Angelus tuæ Patientiæ &  
mortificationis gradus, ad præmium cælo inscribun-  
tur, Ioan. 16. quemadmodum & locis alijs; tempus  
Passionis suæ, horam suam, Christus appellavit. Si  
hora patiendi, hora Christi est: hora quoq; Chri-  
stiani eadem cēfenda: neque id rursus, ideo solum  
ut membra capiti comparantur: sed etiam ideo:  
quia cælis; ut illi debita, asseritur. Concludat  
Tertul. lib. de Patien. asserens: *Patientiam mi-  
sericordiæ Matrem, & Deum ejus debitorem,* Un-  
de subdit. *Si injuriam penes eum deposueris. Ultor  
est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus  
est: si mortem resuscitator est. Quantum Patientia  
licet, ut Deum habeat Debitorem?*

MO-